

**Secreto declarandum est aut per secretam
scedam offerendum S.^{mo} D. N.**

Fabrum episcopum Viennensem non dubitare, Sua S.^{tas} memor sit monitorum ante dies et annum, ut et idem monuerit scriptis ac litteris, omnino oportere celebrari concilium. Nam concilium hoc unum emplastrum sit, quod possit vulnus ecclesiae mederi ac sanare. Et quanto diutius differatur, tanto latius serpat hoc diversarum haeresium malum. Nam nunc a fide catholica et ab omni obedientia Romana defecerint Suevia, Norvegia, Lituania, Prussiae magna pars, et vix media Germania persistat. Nunc vero incipient nutare maximi principes, qui sola hac spe intertenentur, ut sperent, aliquando futurum concilium. Defecit interim totus ducatus Wirtenbergensis, sub quo floruerunt olim ditissima monasteria; haec omnia nunc occupat electis monachis dux Wirtenbergensis.

Nuper defecit comitatus montis Pellicardi¹⁾, neque negare possumus: Ungariae ac Bohemiae pars laborat hoc malo pessimo. Serpit hoc malum versus Burgundiam et Galliam. Nam secta haec non nisi levissima et quae carnalia sunt promittit; non ergo mirum, cum ab adolescentia proni simus ad malum, si multos assecelas ac spectatores²⁾ habeat haec secta. Propterea festinandum erit cum concilio et nullo pacto hic negligendum est aliquid. Nam si concilium toties promisum suum (345 v) progressum non habebit, erit futura discessio, non solum a Sede Ap.^{ca}, sed a fide talis et tam irreparabilis, ut posthac nemo sit curaturus auctoritatem atque eminentiam Sedis Romanae. Et si, quod avertat Deus, non orta fuerit inter Germanos seditio, tamen a nationali concilio vix sese cohiebunt Germani; coeperunt enim illi sibi imbuere opinionem hanc: Si olim licuit Africanis, Gallis, Pisconis, item etiam ipsis Germanis, nationales celebrare synodos, quare non etiam in tali necessitate licere? Quodsi nationale concilium admiserit Summus Pontifex, iam actum erit, quod Sua Cels.^{do} pro innata sibi et a Deo data prudentia considerare et contemplare poterit. Haec propterea significare volui, ut debitum facerem ecclesiae Dei et vicario Christi.

Quodsi Sua S.^{tas} ex Germania habere, id est ex inferiore et superiori Germaniae parte, vel episcopos vel praelatos³⁾, ex Hungaria viginti, et ex tota Italia, de Napoli, Sicilia et aliis adiacentibus insulis et provinciis non minus quam centum et quinquaginta habere potest.

¹⁾ Die Grafschaft Mömpelgard gegen Ende des Jahres 1538. Janssen, 3, 404.

²⁾ Wohl verlesen statt »spectatores«.

³⁾ Hier scheinen einige Worte und die Zahl der Bischöfe oder Prälaten, die aus Deutschland kommen könnten, zu fehlen.

Quodsi accesserit numerus aliquis vel ex Hispania vel ex Gallia, eo melior et sanctior erit, neque adversarii ecclesiae Dei de paucitate conqueri poterunt. Nam tantus et maior numerus erit statuum, quam fuerit vel in Ephesino vel etiam in Nicaeno concilio.

(346^r) Nec multum temporis absumere oportet. Nam nos parati sumus, illico et intra triduum omnes errores, omnes denique necessitates, quae irrepserunt ostendere, et quidem una cum confutationibus. Sunt autem tam abominabiles haereses et tam exactae omnibus, ut si per concilium deletae fuerint, spes est, ut multi sunt redituri ad cor antiquum. Sunt et multi, qui se errasse fatentur; tamen sine auctoritate concilii, ita reclamante furioso populo et inerti vulgo, resilire et retrocedere non audent. Poterit reformatio fieri, quae non usque adeo Sedi Ap.caे aut etiam ecclesiasticis difficilis erit. Nam in ea sum sententia, quod in nonnullis rebus eligibilius et procul dubio utilius fuerit cedere quam cadere. Quodsi quis persuadere velit Summo Pontifici, quod haeresis in declinatione sit, ille toto coelo errat et seductor est. Inspiret itaque Deus et confirmet, quod in Paulo III. operatus est, ut concilium non modo promoveat, sed et certo teneat ac celebret. Alioqui tanta erit ruina religionis catholicae, ut posthac nemo nisi solus Deus hanc restaurare possit. Haec nuntiata sunt breviter, ita testimonium perhibente nostra conscientia, et urgente Christo, ex quo, per quem et in quo sunt omnia; ipsi honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

E h s e s.